


PALAESTRA LATINA



ANN. XXIII – N. 140

MM. JULIO et AUGUSTO
www.culturaclasica.com

AN. D. MCMLIII

Summarium

Ad Egnatium	<i>A. Vicentini</i>
Philosophia animorum medicina apud Ciceronem . . .	<i>Julius Brenach</i>
Nova de Demetrio	<i>Emil Orth</i>
Per Michaëlis Archangeli manum	<i>Avenarius</i>
Nova et vetera: Chronometrum	<i>Ildephonsus González</i>
Rosa candida et Iris	<i>Aloisius Lucesole</i>
Cursus gymnasticus	<i>Josephus M. Mir</i>
Commercium epistulare	
Epistolia soluta	
Bibliographia	<i>Molina-Alba-González</i>
Palaestra Exercitatoria	<i>Severinus Alonso</i>

AD EGNATIUM

Quem doctum decorat ingenium senis,
Egnati, rubea cum juvenis gena,
Facundae cumulas munera, nomina
Augentis tua, Palladis.

Qui causa loqueris perbene Flavium
Cinnum, pariter me studio colis,
Mores Aeneadum me quoniam, satum
Anchisae sobole, haud latent.

Nec bardos vineas exigui cave
Occantes facias, turbaque nec tibi
Derisum moveat martia callidum;
Quae surgat Patriae lares.

Vel gliscatur edax chlamide Principum
Livor divite, sive imperio Patrum
Tuto forte cave, plebis et irritae
Sertis Flāmini honoribus.

Non frustra sapiens, intus ad infima
Descende assiduus, cetera praeteri,
Egnati, quotiens, quod prope pleraque
ostendunt, homo non videt.

A. VICENTINI, C. M. F.

(Philosophiae alumnus)

Villae Rosarii, in Argentina

PALAESTRA LATINA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

Philosophia animorum medicina apud Ciceronem

Quanta sint, quae a Philosophia remedia morbis animorum adhibeantur, bene norunt, quotquot Tullium, Romanae eloquentiae lumen, perscrutati sunt. Nemo profecto infitias ierit, Ciceronem in hoc argumento passim tractando non parum operae et olei insumpsisse. Quod argumentum, ejus vestigiis insistens, immo ipsius, quam maxime potero verbis, exponam.

I. **Philosophia, remedium morbis animorum.** — Si omnem aegritudinem satis apparet animi motum esse vel rationis expertem, vel rationi non oboedientem: his perturbationibus, quas in vita hominum stultitia quasi quasdam furias immittit atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est vitae, tranquille placideque traducere (*Tusc.* IV, 27, 58; III, 11, 24; 25). Habet enim ardorem libido, levitatem laetitia gestiens, humilitatem metus; sed aegritudo majora quaedam: tabem, cruciatum, afflictationem, foeditatem; lacerat, exest animum planeque conficit. Hanc nisi exuimus sic, ut abjiciamus, miseria carere non possumus (*Tusc.* III, 13, 27). Et est quaedam medicina certe. nec tam fuit generi humano infensa atque inimica natura, ut corporibus tot res salutare, animis nullam invenerit: animi autem, qui se sanari voluerint, non sanentur? Est autem profecto animi medicina, philosophia, quae ut ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus (*Tusc.* IV, 27, 58; III, 3, 5; *Leg.* I, 22, 58); quae medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores (*Tusc.* II, 4, 11; *Nat. Deor.* I, 4); illa cultura animi, quae extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos, quae mandat iis et, ut (ta dicam, serit ea, quae adulta fructus uberrimos ferant, cujus ego studium mihi quidem ipse sumo ad vitae constantiam (*Tusc.* II, 5, 13; *Acad.* I, 2).

Ita omnium vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est. Cujus in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis bellorum civilium casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jacti tempestate confugimus (*Tusc.* V, 2, 5). Hortata est etiam, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo, fortunae magna et gravi commota injuria [ex Dolabellae filiae

dilectae morte] cujus si majorem aliquam levationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem (*Nat. Deor.* I. 4, 9).

II. Laus Philosophiae, expultricis vitiorum. — Pergit nunc Cicero et philosophiam elegantissimis mactat laudibus: O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! (*Tusc.* V, 2, 5). Tu omnium mater artium, quid es aliud, nisi, ut Plato, donum, ut ego, inventum deorum? Tu nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivisti; tu ab animo tanquam ab oculis caliginem dispulisti, ut omnia: supera infera, prima ultima media videremus (*Tusc.* I, 26, 64; *Timaeus*, c. 14; *Leg.* I, 22-23; *Tusc.* II, 5, 13; III, 3, 6; V, c. 1-4). Ad te confugimus, a te opem petimus! Quid enim non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiiis, tum litterarum et vocum communione junxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti! (*Tusc.* V, 2, 5). Quo bono nullum optabilius, nullum praestantius neque datum est mortalium generi deorum concessu, neque dabitur (*Timaeus*, c. 14).

En habes medicinam philosophiam, cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est fors, omnibusque viribus, ut nobismet ipsi mederi possimus, elaborandum est. Perficiet vero philosophia in bonis ingeniis, quod persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus existat (*Tusc.* III, 3, 6; *De Rep.* III, 3). Illud quidem sic habeto, nisi animus sanatus sit, quod sine philosophia fieri non potest, finem miseriarum nullum fore. Quamobrem tradamus nos ei curandos; sanabimur, si volumus. (*Tusc.* III, 6, 13; IV, 38, 84). Cave enim putes, ullam in philosophia vocem emissam clariorem ullumve esse philosophiae promissum uberius aut majus. Nam profitetur, o dii boni! perfecturam se, qui legibus suis paruerit, ut sit contra fortunam semper armatus, ut omnia praesidia habeat in se bene beateque vivendi, ut sit semper denique beatus (*Tusc.* V, 7, 19, IV, 38, 84); profitetur, effecturam se, ut divina imitemur, humana omnia inferiora virtute ducamus (*Tusc.* IV, 26, 57; V, 3, 7; *Fin.* II, 12, 37; *Leg.* I, 23). Excitanda igitur animadversio et diligentia est, ut ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. Ita philosophia, si animus est excultus et si ejus acies ita curata est, ut ne occaecetur erroribus, fit perfecta mens, id est absoluta ratio, quod est idem virtus (*Off.* I, 29, 103; *Nat. Deor.* I, 5, 12; *Off.* I, 20, 67; *Tusc.* V, 13, 39).

Habes, carissime lector, nonnulla de philosophia tanquam animorum medicina apud M. Tullium. Alia erant, quae dicerem, sed ne nimis scriptiuncula protenderetur, omittenda duxi.

JULIUS BRENACH,
Monachus Montisserrati

Nova de Demetrio ⁽¹⁾

Eadem porro vi ac Demetrius Alexandrinus, qui libellum suum *περὶ ἐρμηγείας*; inscripsit, etiam Galenus vocabulo *ἐρμηγεία* (17 A 635. 17 B 865. 18 B 344) utitur, quae vox artificiosum modum dicendi (= *Stil*) significat. Idem Galenus doctrinam Favorini oratoriam novit; *ἰδέαν* nempe Favorini (14,627.629) commemorat, quam Demetrius ille Aegyptius, Favorini discipulus, imitabatur, cf. ultro Hermogenis rhetoris opus *περὶ ἰδεῶν*, qui aequalis Demetrii atque Galeni erat; de illa Demetrii imitatione Galenus propterea tantum iudicare poterat, quod ei contingebat ut ipse Favorini praecepta dicendi diligenter ab auditore hujus sophistae acciperet vel in libro Favorini quodam legeret. Quin etiam Favorini ratio elocutionis a Galeno (8, 587) laudatur, ubi medicus Favorinum quidem (et Dionem Chrysostomum) *βαρβαρίζειν* et *σολοικίζειν* reicere dicit, quae sunt vitia purae dictionis; Galenus autem talia sermonis errata non reprehendit, cum solum intellectum verborum velit pernoscere. Neque vero Favorinus modo et Dio Chrysostomus (8, 587) optimae linguae Graecae defensores graves iudicantur, sed etiam Galenus ipse a patre Nicone Graeco natione insignibus antiquorum auctorum Graecorum operibus institutus semper ejusdem generis eleganter dicendi studiosus ceteros tamen homines proprio modo libere loqui sinebat. Praeterea Galenus Favorini dogma purae linguae Graecae severum, ut equidem opinor, etiam in eo libro, qui inscribitur «contra eos qui insultant iis qui voce soloecismum committunt» (12, 193. 13, 408) aggressus est, quod opus sex libris constabat (19, 48). *βαρβαρίζειν* et *σολοικίζειν* certe puritatem dicendi violant; quae puritas est una ex virtutibus dicendi principalibus antiquae artis rhetoricae, Galenus verum (12, 194) sibi ipsi solam perspicuitatem (*σαφήνεια*) dictionis naturalis sufficere affirmat; qua de virtute praecipua claritatis (*σαφήνεια*) etiam scriptum *περὶ σαφήνειας καὶ ἀσαφείας* (19, 48) composuit. Galenus hanc Favorini doctrinam dicendi per Demetrium Alexandrinum Romae morantem cognovisse videtur, ubi medicus Pergamenus illum Demetrium inter familiares (14, 627.629) habebat. Ut Favorinus (8, 587) *βαρβαρίζειν* et *σολοικίζειν* repudiabat, ita Demetrius quoque *φρογίζειν* ἢ *στυθίζειν* μετὰ τὸ Ἑλληνικῶν ὀνομάτων (de elocutione 96) tamquam vitia puritatis oratoriae castigabat; ex hoc amborum rhetorum sophistarumque consensu de puritate linguae Graecae Galenum Favorini opinionem per Demetrium Arelatensis discipulum discere potuisse licet colligi. Ergo illa tandem Galeni nota de Favorini praecepto puritatis linguae facta Demetrium Alexandrinum a Favorini disciplina critica dependere documento est. Postremo hac ratione Galenus nobis iudex cultus humanitatis imperii Romani sui temporis ostenditur.

EMIL ORTH

In pag. 26, fasc. 138, lin. 27 corrige *λόγια* in *λόγοι*.

(1) Cfr. fasc. sup. p. 52

Per Michaëlis Archangeli manum

In hebdomadariis commentariis, quos si verbum pro verbo reddas «Folium dioecesanum Ratisbonense» nomines, lepidissimas interdum invenias narratiunculas, quibus vel indoles hominum generatim, vel propriae patriae natura, cultus, mores elegantissime exprimantur. Ex eo genere fuere, quae nuperrime de quodam puero, cui Carolo nomen, numeri decimi pagina decima, Ludovicus Schuster, egregius homo, vividissime scripserat. Ut, quam ego ex ea descriptione percipiebam voluptatem, ejus etiam tibi copiam facerem, Latine reddidi rem universam utroque fateor mea Latinitate colori narrationis Bavaricae nonnihil nocitum esse. Sed videris ipse. Titulum narrationis ex verbo habes: Per Michaëlis Archangeli manum. — ANDREAS AVENARIUS.

Carolus Pirarius, puer annorum undecim, simili statura eodemque fere robore corporis erat atque Antonius Hernisius, qui jam in sacris Ecclesiae ritibus officia faciebat ministri. Hujus Antonii illum Carolum loci parochus idemque consiliarius episcopalis, magnopere cupiebat socium esse: nam hos duo par ministrorum decorum omniumque gratum oculis esse posse, posse autem, non jam futurum, siquidem Carolus, homunculus lentulus minimeque ambitiosus, sacrum officium detrectat non sine dolore multorum, quos dudum pigebat semper fere ad altare procedentem videre cum robustiore Antonio gracilem quendam et humiliore statura Rudolphum Vorinum, jugum non minus dispar, quam si eidem temoni jungas equum et vaccam.

Et quibus jam modis parochus persuadebat Carolo invidendum privilegium esse ad ipsam aram accedere, vinum porrigere et aquam, Angelorum fere fungi officio! Neque sese intellegere, cur tantum honorem non ultra capesseret. Postremo Carolus urgenti parocho, ne continuarentur invisae hortationes, respondit: «Atquin, ego si vellem acceptare, verendum, ne pater nolit meus». Quo ille responso, tametsi parum faciebat fidem, hoc est assecutus, ut tardaretur hortationum frequentia.

Data autem occasione parochus compellat Caroli patrem occupans: non se credere patrem nolle filium praestare in ecclesia ministeria. «Per me sane», inquit Pirarius pater, «nihil puero officit. Sed non ignoras, venerande, non posse me administrare eam rem, qui cotidie multo mane ad faciendum opus properem, neque tam mature posse e pluma excutere puerum, quem si jam quarta hora excitaverim, cum tempus rei divinae adventet media septima, rursus expergefacere oporteat». Neque vero vitio vertendum patri, quod non fortius agendum sibi statuit, qui vespere diurno opere fessus pacem domesticam anteferebat acerbis litigiis.

Tum parochus Carolum in commenticio animo patris convictum rursus adit. At vide, inquit, quam esset res proba, si officium ministri tibi reciperes; et magno tuo commodo paulo maturius e lectulo te proriperes. Tum Carolus veram tergiversationis causam prodens: «sed missae angelicae (*Rorate*) nimium mane celebrantur». Quae missae, Carole, non canuntur totum per annum, et quod reliquum est, non praestabis operam tantum gratis; ministri suas percipiunt mercedulas, quae, quam-

quam sunt tenues, paulatim crescunt in summulas non spernendas. In eandem sententiam parochus loquitur cum Caroli matre, cui ad alendam familiam expectatissimus etiam terencijs est. Cur non dudum, dixit illa, rem loqueris tam honorificam: velle te Carolum nostrum adsciscere inter ministros sacrarum functionum? Quem puerum nihili etiam diu interrogabimus, paratusne sit necne! Spondeo officium facturum atque actutum quidem.

Tum Carolus matri significanter ostendenti rudem coquinariam non ausus obniti, cum materna praecepta non admitterent moram, ad parochi demigrat domum, ubi dubitanter facto tinnitu se exhibuit instruendum ministrandi officio. Parochus porrigit libellum nitidum, rubrum, litteris aureis et insignibus papalibus ornatum, in quo, quae minister sacerdoti respondere debet, minio sunt distincta. Placuit Carolo liber, cui tamen etiamtum reluctanti accipere quod postu'abatur officio opportunum videbatur, quod responsiones Latine erant faciendae: sic enim dari viam ad certam et perpetuam invisae rei declinationem; feriret mater rude, nunquam sorbitionem tam sorberi ferventem, quam esset a matre rude agitata. Et ipsa Latinitate Carolus rem aliquamdiu ducebat. Qui, cum dicto die ad parochum revertisset examinandus, et ab hoc interrogatus benene memoriae mandasset rem, tollens inimitabiliter oculos «discebam equidem», inquit, «sedulo, sed, ut mihi Latina sunt difficilia, nihil inculco memoriae». Parochus nondum suspicatus latentem fallaciam, addens animum: Tempus, inquit, superabit omnia. Sed paulatim cum subirata agitatione capitis intellegere coepit puerum sperato ministerio mansurum imparem, nam quae audiebat in hunc erant modum: *adeumgi* — post intervallum — *laetifi* — novamque pausam — *cattjufentu* — et post singultum glutumque — *dudemmeamm*. Quae secuta sunt digna fuere prioribus: *kwidadu esdeusford didu dommeaquarium* — ut sibi persuaserit parochus ne caelestem quidem patientiam aut constantissimam humanitatem quidquam proficere posse contra tantam pervicaciam. Et obturatis auriculis: Jam cessa, exclamat, quae tu loqueris dialectus sint veteris Mexiconis, sed Latina ea non sunt. Nihil puero optatius, quam quod erat jussus, neque ulli unquam praecepto paruerat promptior minimeque acerbe tulit, quod parochus concluderat: oleum in se et operam perisse, quae ei verba cantus visa sunt recuperatae libertatis.

Et complures quidem hebdomadas Carolus infelici gaudebat vafritia usque ad eum diem, quo cum Antonio amico suo, volenti atque diligenti ministro altaris, infortunato contendebat ludo labinario. Mollescens enim nix illa, qua plurima tegebatur ecclesia, jam lapsura videbatur neque tamen adeo gravis jacebat, ut suoapte delaberetur pondere. Idoneo tamen globorum niveorum jactu massa nivea lente promoveri coepit, quae magis augescens cum modico tonitru in terram praecipitabat. Et erat jucundissimum iteratis jaetibus de vastissimo templi tecto labinas nivium devolvere.

Itaque Antonius et Carolus inter se certabant, uter majores labinas efficeret, et vincebat Antonius. Tum vero Carolus, ejus cupidus gloriae, aut superare aut sal-

tem aequare Antonium labinis nixus, etiam majores nivium glebas, quibus totae massae traherentur, conglobabat ipsasque glebas, incluso lapide justo ad altè jaciendum pondere gravabat. Et jam victor Antonio magnum globum missilem ostendens: Jam spectabis, Toni, labinam veram, quales cernere in Helvetia de Monte Cervino deruentes, et forti conatu jactat globum suum ponderosiorē, quam ut puerilibus lacertis satis ageretur longe —horrificus fit fragor et stridor testarum, nam globus Caroli non in testum, sed in fenestram sacrae aedis conjectus erat, cujus vitris coloratis exprimebatur figura Sti. Michaëlis Archangeli lanceam in draconem tartareum jaculantis; suo autem missili Carolus archangeli eliserat manum hastam tenentem, neque mirum est, quod sinister rei eventus ejus angere coepit animum. Antonius sicce et nulla motus misericordia amico: Hem, nunc trunca manus est. Hic contra prospicit calamitatem necessario cum suo facinore conjunctam, non minus sibi minitantem, quam draco fenestrae contra victorem Angelum raberet, qui, quo jaculum caperet non jam haberet pendente hastili in vitreo aëre, jaculante nullo. Hic Antonius, amicum dolenter et significanter intuens: Nunc Archangelus Michaël, inquit, cuspidem contra te, opinor, vertet. «Quidum?» Ante diabolum fodit, posthac te premet, Carle. Quod ille per jocum sane, et sciebat Carolus, non ignorans profecto veram dici per jocum seriamque rem; lanceam quidem in imagine fenestrae pictam non se puncturam esse, at maternam rudem, Michaëlis jaculo saeviorē, se perfricaturam. Nam ad sarcendum damnum ex arca domestica praestandos sumptus, sed in arca non multa esse, quae capi possint, et tamen capi necesse esse; consentaneum esse captum iri rudem, qua ille, per quem ex arca capi necesse sit superflua tributa, dignum lignea perfrictione esse. Ah! quam haec tristitia ominal

Antonius Caroli cernens aporiam ex prima indolentia ad amica consilia inclinans: At ego video, qui te ex his malis emergas. «Quidum?». Praestanda opera fenestrae refectionem penses. «Enimvero operal Qua, cedol Ponendorum conorum tempus mense Majo redit. «At sunt alia stipendia». «Quae?». Ministrandi in ecclesia. -Ad hanc vocem frons Caroli paulum obnubilatur, tum, quasi laetiora prospectans: «Ministrandum ais?». Ego vero ajo: feres vicenos teruncios ex missis singulis, et sunt alii reditus; nuper in nuptiis Blasii Hartii singulas percepimus marcas singuli. Tum Carolus meditans: «At tam mane, plane mane surgas oportet!». -Ideoque maturius ito cubitum vesper! Cum non haberet, quae huic temporis rationi opponeret, Carolus: «Sed etiam incertum admittatme parochus!». -Nihil certius, qui totiens palam dixerit quam tu belle mecum incederes. Sed in antecessum denuntio, ne forte erres: thuriferarius manebo ego, thuribulum non cedam. Carolus, cui tunc satis fumosus esset animus, idoneum se existimabat carere honore thuribuli, et «Sic ego statim pergo ire ad parochum», inquit, «nihil jam me retinet».

Et revera draco ille pigritiae victus jacet. Trajecta S. Michaëlis manus etiam hanc beluam straverat.

Itaque ingressus inquit: «Nunc illa Latina multo scio melius, quam sciebam nuper, neque intellego, quo pacto tum tam me stultum praeberim in re tam facili». Et ne jussus quidem responsa illa pronuntiat tam recte, tam accurate omnia, ut vera sit voluptas puerum audire recitantem, quam voluptatem parochus blande interdum annuendo manifestat, et admiratus interrogat: Ain' vero tandem? tunc postremo sacra officia subire cogitas? — «Et libenter ego, si me admiseris». Incertus, quae hujus insperatae mutationis causa sit, Carolo edicit, quo die ad ministerium se debeat sistere. «Neque ullam mihi dabis», —inquit Carolus— «mercedem, quoad conflatum fuerit, quanti constiterit manus»? —Manus autem? quae tandem manus? «Elisa S. Michaëlis Archangeli manus».

Tum leni sibilo parochus, perspecto nexu causarum, —nam pridie aedituus non sine stomacho de damno docuerat— ahl inde nobis afflat hic ventus! «Quippini inde, reverende parochus?». Tum parochus, ut puer simplex et ad piandum paratus adstitit, etiamsi nollet subridere, coactus risit, et quod tam ingenue de damno necdum satis comperto docebat, quod tam paratus erat etiam suo incommodo poenam luere, percutiens familiariter pueri umerum: Ergo, Carle, inter nos convenit.

Ex eo tempore pueri et statura et habitu gestuque corporum simillimi sacerdoti sacra facienti ministrabant, neque Carolus, tametsi Antonium in deiciendis labinis niveis non acquaverat, nihil huic diligentia cedebat et fide.

Postea, cum Michaël Archangelus novam accepisset manum, Antonius cum Carolo ex sacristia discedens hujus premit brachium et manu monstrans resectam fenestram: Viden', Carle, non solum confodit diabolum, verum etiam somniculosos pueros novit, ubi focali prenderit, facere in ecclesia ministros. An tu nunc, reparato damno, ministrare desines?


«Nae tu, Toni, vehementer, si hoc censes, erras», inquit Carolus.

Et licet ea vox usu sit trita, in ore Caroli nostri vox fuit laetitiae et vox studij in eo officio, quod sponte non suscepisset. Et licet per aetatem nondum intellegeret, suspicatus tamen est, quantum non raro ex ipsa fortuna adversa progigneretur boni.

Nova et Vetera

Chronometrum⁽¹⁾

II



3. Et prosequor jam diu interruptam superioris pictae tabulae explicationem. Itaque in tertio ejusdem numero apparet tibi horologium *arenae*: alius nempe, quamvis sit imperfectus, cognoscendi horas partitionesque temporis modus pristinus. Est instrumentum quoddam ex duabus ampullis per collum conjunctis compositum, quo quidem temporis cursus, ex arenae quantitate quae de altera in alteram pedetentim cadit, definitur. Admodum fuit id horologii genus in medio aevo historiae usitatum. In praesentiarum vero, nisi memoria quaedam non est artis archaeologicae.

Sol, aqua, arena: hae potissimum natura, inter se adeo dissimiles, res primum sunt horologiorum instar adhibitae: quasi temporis mensores in hominum commodum fuerunt. Atqui nunquam ii, sociali in cursu vivendi, necessitate non coacti sunt dimetiendi varia temporum intervalla. Sed nisi paulatim in perfectionem non venit horologiorum usus, quae hac nostra aetate tanquam nobilior pars sunt scientiae mechanicae in natione Helvetia.

Ex eorum autem prisca defectio, temporis partitio haud ita atque diebus nostris accurate dispertita fuit. Antiquior gens Romana hac diei partes ratione nuncuparunt: *mediam noctem, gallicinium, conticinium, diluculum, mane, ad meridiem, meridiem, de meridiis, horam supremam, vesperam, crepusculum, primam lucem, concubium, intempestam noctem*. His quidem loquendi rationibus naturalis, nullus fucatus nitor inest.

(1) Cfr. fasc. 138, p. 30.

Ex sole ergo oritur primum temporum in humana consuetudine dimensio. Circuitus ejus, quem conficit ab oriente ad occidentem circum iens, diem facit naturalem. Hic vero in viginti quattuor horas dividitur; hora quattuor in *quadrantes*, seu in sexaginta *minutas* (partes). Septem dies efficiunt hebdomadam. Quarum quattuor, mensem: duodecim vero menses annum constituunt. Et annus hebdomadas quinquaginta duas capit: aut dies trecentos sexaginta quinque cum sex fere horis. Centum denique anni saeculum nuncupantur. *Momentum* veluti est punctum temporis, quale in brevissimo oculi sese claudentis vel aperientis motu cernitur.

Nunc vero, in transitu, hoc tibi de re aenigma propono: miscbimus enim utile dulci

Est unus genitor, cujus sunt pignora bis sex.
His quoque triginta natas, sed dispari forma;
Aspectu hinc niveae, nigris sunt vultibus inde.
Sunt immortales omnes, moriuntur et omnes.

Hujus inventrix quaestionis est Cleobule, Cleobuli Lindij, unius e septem Sapientibus, filia. Neque hic opus est acutissimo ingenio. Genitor, est annus; pignora certe duodecim menses. Horum quidem filiae triginta candidae, dies; atrae noctes. Omnes sunt immortales, nunquam earum cessante successione, quamquam in dies moriuntur occidendo omnes.

Anno denique 291 ante Christum, cum *solarium* et *clepsydra* in usum apud Romanas gentes venerunt, tempus exactius censi coeptum est: hinc temporis, cum naturalis tum legalis, divisio orta est. Mox die in duodecim horas dividitur; nox in quattuor vigiliis, tribus horis in singulas conflatas. Sed, ne plura. Recole hic quae de temporis qualitate lepide scripsit L. Seneca (*Epigramm. ex. 7*):

•Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
 Omnia sede movet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare litora siccant,
 Subsidunt montes, et juga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima caeli
 Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit. Lex est, non poena, perire.
 Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

4. Quid vero amplius superiore in pictura cernis? Numerus ejusdem quartus aliud tibi horologii genus, hodierno certe in usu princeps, nempe *armillae* vel *bracchiale*, ostendit. Quod ope *catenulae* vel *corrigiae* affabre *varieque* confictae *bracchii* cum manu *commissurae* infigitur, quo facilius horae prae oculis usquequaque haberi possint.

Id horologium, ut nunc quidem est, omnium communius et sumptuosius in commercio hominum. Quin immo harum *machinationum* sunt penitus *automaticae* non nullae; etenim *moventur* seu *agitantur*, non *commodum*

claviculae ope sed ipsius pulsationis in venis brachialibus. Usque adeo pervenit ingenium fabricorum horologiorum!

Praecipuae nunc externae horologii partes, insequentibus vocibus Latinis et Hispanicis, distinguuntur:

Anilla	<i>anellus</i>	Guardapolvo	<i>tegumentum</i>	Segundero	<i>secundarium</i>
Cadena	<i>catena</i>	Llavecita	<i>clavicula</i>	Tapa	<i>operculum</i>
Caja	<i>capsa</i>	Manecillas	<i>lanceolae</i>	Vidrio	<i>vitrum</i>
Correa	<i>corrigia</i>	Mango	<i>capulum</i>		
Horario	<i>horarium</i>	Minutero	<i>minutarium</i>		

5. Denique, in quinto tabulae numero, horologium *crumena*e depingitur, ad nostrum usque tempus horologiorum omnium usitatus; jam vero in dies obsolescit. Pars interna hujus horologii praecipua, sicut et superioris, est *vertex*: nempe anulus duobus offendiculis instructus, qui spira quadam actus horologii motui modum confert. Atque *spira* est automaton spirale verticis horologii. Carbuncolorum numero in axibus ipsorumque qualitate, haec *crumena*e et armillae horologia super aestimantur, quippe quae et magis durabilia et regularia sint.

Sed haec hactenus. Non nullas hic notiores temporis partitiones atque phrases de anni sermone, complementi ergo, adjiciamus.

Siglo	<i>saeculum</i>	Día	<i>dies</i>
Lustro	<i>lustrum</i>	Dos días	<i>biduum</i>
Año	<i>annus</i>	Tres días	<i>triduum</i>
Bienio	<i>biennium</i>	Hora	<i>hora</i>
Trienio	<i>triennium</i>	Media hora	<i>semihora</i>
Me's	<i>mensis</i>	Hora y media	<i>sesquihora</i>
Quíncena	<i>semestrium</i>	Tres cuartos	<i>odrans</i>
Bimestre	<i>bimensis</i>	Cuarto	<i>quadrans</i>
Trimestre	<i>trimensis</i>	Minuto	<i>minuta</i>
Semestre	<i>semensis</i>	Segundo	<i>secunda</i>
Semana	<i>hebdomas</i>	Momento	<i>momentum</i>

Praeterito anno, *el año pasado*
 Superiore, priore anno, *el año precedente*
 Proximo anno, *el año último; el año próximo*
 Insequente anno, *el año siguiente*
 Anno peracto, circumacto, interjecto, *pasado un año*
 Anno vertente, *en el curso del año*
 Initio anni, ineunte anno, *al comienzo del año*
 Exeunte anno, extremo anno, *al fin del año*
 Singulis annis, *cada año*
 Singulis diebus, *día por día*
 Quinto quoque anno, *cada cinco años*
 In annum, *para un año*
 Ad annum, *de aquí a un año*
 Viginti anni et amplius, *veinte años y más*
 Abhinc viginti annos, *hace veinte años*
 Quinque annos (vel sextum jam annum) abest, *hace cinco años que está ausente*

Anno ab urbe condita sexto, *el año seis de Roma*
 Commutationes temporum quadripartitae, *la cuádruple revolución de las estaciones*
 Verno, aestivo, autumnali, hiberno tempore, *en la primavera, en el verano, en el otoño, en el invierno*
 Ineunte, primo vere, *al comienzo de la primavera*
 Ver appetit, *se acerca la primavera*
 Suavitas verni temporis, *la dulzura de la primavera*
 Summa aestate, hieme, *en lo fuerte del verano, del invierno*
 Hiems subest, *se acerca el invierno*
 Hiemem tolerare, *sufrir el invierno*
 Anni descriptio, *división del año*
 Annus intercalaris, *año bisiesto*
 Compositio anni, *el calendario*
 ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Rosa candida et Iris

Virginis ante pedes aurato in vase locutae
Ambo laetitia, visu, Rosa candida et Iris
Exsultant, sanctae divina et Imaginis ora
Quaëque suo gaudet grato perfundere odore...
Posti triduum ejectis petalis niveaque corolla
Forte rosae video nudatam stare figuram
Caulis, dum mensae fulcimen molle tapetum
Albo suaveolens operit decoratque nitore;
Iris, at haec inter, contraxerat ipsa corollam
ad centrum, glomerans quae, jam pila facta nigrescens,
Foeda scatet visuque horret putredine dira.
Illico laetanti clamavi pectore vates:
Ast ego te celebro, rosa candida, voce beatam!
Reginae Assumptae in caelum, regina decori
Horti, tu vivens praebes candoris honorem;...
Nescia corrumpi ac vinci, tu gloria florum,
Alborum moriens foliorum labe decorem
intactum servas...; leviter nam singula mittens
Virgineis pedibus praebes fragrantia cuncta,
Sanctamque effigiem perfundere pergis odore:
Tu vivendo doces integram ducere vitam;
Tu moriendo pium vitae servare nitorem!
Esto mihi exemplum, rosa candida, tempus in omne!
Tuque, Dei Genitrix, adsis! fac degere vitam
Ante tuos oculos valeam sine labe, Maria,
Ut tibi complaceam sanctae virtutis amore...
Ac mea cum tandem suprema advenerit hora,
Invenias purum, purissima Virgo Maria!

ALOISIUS LUCESOLE, Pbr.

González Castán. in Argentina

Cursus gymnasticus

COMIDA EN CASA DEL LICENCIADO CABRA

Sentóse (1) el licenciado Cabra y echó la bendición (2). Comieron (3) una comida (4) eterna (5), sin principio ni fin. Trujeron caldo (6) en unas escudillas (7) de madera, tan claro, que en comer una dellas (8) peligrara Narciso (9) más que en la fuente. Noté con la ansia (10) que los macilentos dedos se echaban a nado (11) tras un garbanzo huérfano y solo que estaba (12) en el suelo (13).

Decía Cabra a cada sorbo (14): Cierro que (15) no hay tal cosa como la olla, digan lo que dijeren (16); todo lo demás es vicio (17) y gula. Y sacando (18) la lengua la paseaba por los bigotes (19).

(QUEVEDO, *La vida del Buscón o El gran Tacaño*, 1, 1, c. 3).

PRANDIUM APUD CAPRAM MAGISTRUM

Cum sedisset Capra magister et bene precans signum crucis edidisset, prandium aeternum, principio ac fine carens, comederunt. Jusculum in ligneis scutellis adeo liquidum est appositum ut, in illis ebibendis, majus esset Narcisso periculum quam fuerit in fonte. Ipsa animi cupiditate exiles animadverti digitos circum unum orbumque cicer natantes, quod ibi in fundo jacebat.

Sorbillans eadem Capra proferebat: Nihil sane —alii aliter senserint— ollae simile; cetera vitium et gula. Linguamque exserens per barbam labri superioris circumducebat.

NOTAE

1) **sentóse**: Eam conectendi rationem usurpare potes qua plures orationes sub una tantum primaria —adhibitis relativis aut particulis— arte subiciuntur: «cum sedisset... edidisset...», comederunt; quae quidem subiciendi ratio Romanorum est maxime propria. Recte tamen Hispanicam loquendi rationem sequeris.

licenciado: Vox Hispanica eo sensu adhiberi videtur quam facile latine in «magistrum» convertamus; magistri enim dicuntur «qui magis quam ceteri diligentiam et sollicitudinem rebus quibus praesunt debent...»; «omnes qui magis ceteris possunt...» (cfr. FORCELLINI, s. v.) Erat autem Capra clericus idemque praeceptor ac «magister» cujusdam deversorii.

2) **echó la bendición**: Scriptores qui verborum puritatem amant verbum *benedicere* ut cadentis Latinitatis reiciunt (cfr. JOS. FRID. NOLTENIUS, *Lexicon Latinae linguae antibarbarum*, Venetiis, 1743, p. 546; BACCI, *Varia Latinitatis scripta*, s. v. «*benedicere*»; KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v.). Verba tamen et locutiones quae ab iis proponuntur —ut «*expiare*, *lustrare*, *piare*, *fausta precatione lustrare*, *bene alicui precari*...— haud facile semper cum sermone cohaerebunt, ut hoc loco; nam neque «*mensae* (prandio) *bene precari*, neque *fausta precatione mensam lustrare*, *expiare*», Romanorum linguae satis respondere videntur, neque apte ad sensum verbi *benedicere* quadrant. Cum autem substantivum «*benedictionem*» scriptores supra laudati prorsus reicere non

videantur (cfr. etiam BIONE, *Vocabulario della lingua latina, s. v. benedizione*), aut «benedictionem largiri (impertiri), aut —ut «In campo Latinitatis Novi Flores» (M. JACOBELLI) scriptum legimus— «signum bene precantis edere, facere» aut etiam —ut in nostra interpretatione leges— «bene precans signum crucis edere, facere», usurpare potes.

3) **comieron**: *Comede: e prandium*, PLAUT. *Poen.* 3, 5, 5 (759); *prandere prandium* ID. *Men.* 3, 2, 55 (521); *sumere cibum* (NEP. *Att.* 21)

4) **comida**: *prandium* Fuit quondam apud Romanos «cena» praecipuum edendi tempus, quae circa meridiem fiebat; postea vero cena ad vesperum est reposita et prandium dici coeptus est cibus circa meridiem sumptus (cfr. FORCELLINI, *s. v.*). «Patet Hieronymi temporibus prandium acceptum fuisse pro maximo convivio, loco nempe cenae, ut apud nostrates nunc «il pranzo» (cfr. FORCELLINI).

5) **eterna**: translate (et poëtice) *aeternum*; cfr. «dolorem aeternum proferre» (LUCRET. 3, 1003); «vulnus aeternum servare sub pectus» (VIRG. *Aen.* 1, 116) «Aeternum est id, in quo nullum est tempus quodque principio et fine caret» (FORCELLINI).

6) **caldo**: jusculum (i. e. «quilibet liquidiior cibus», FORCELLINI), sorbitio.

7) **escudillas**: scutella; «est genus vasis concavi rotundi, quo minuta ex carne vel oleis in mensam aut potius pocula in convivas distribuenda adhibentur» (FORCELLINI)

8) **que en comer una dellas**: *in illis ebibendis*; cfr. hunc gerundivi usum: «In ea (voluptate) spernenda... (en el desprecio, en el despreciar) virtus vel maxime cernitur» (CIC. *Leg.* 1, 19, 52).

9) **Narciso**: Narcissus, puer pulcherrimus qui, cum quondam per montes vagasset suumque specimen in fonte vidisset, tanto imaginis suae amore captus est ut nimio desiderio contabesceret et in florem sui nominis commutatus sit. Ironiam, quae narrationi inest, percipies.

10) **con la ansia**: *ipsa animi cupiditate*; «cupiditas est affectus animi impense cupentis aliquid»; cupiditati additur *animi* ad sensum vocis complendum (cfr. BERGER, *Stylistique lat.* § 83). «Timor animi auribus officit» (SALL. *Cat.* 58). *Ipsa* locutionem et sensum perficit, respondet enim voci nostrae *natural* («con la natural ansia»).

11) **se echaban a nado tras**: *natare circum*; cum ipsam natandi actionem significemus, participium aptius erit adhibendum («animadverti digitos dum circum unum cicer narent»; cfr. LLOBERA, p. 373, *adn.* PASQUETTI, n. 206).

12) **estaba**: *jacere*. Verba quae apud nos rem tantum esse demonstrant vel parum definiuntur, pressius et significantius in Latino sermone saepe exprimuntur: «perculsa et prostrata *jacent* omnia» (CIC. *Fam.* 4, 4, 2), «infixum haerere, abditum latere» (cfr. CAES. *B. Gall.* 2, 19, 6. - ISSELÉ, 150; MAROUZEAU, *Traité de Stylistique lat.*, p. 146).

13) **suelo**: *fundus*; «est ima cujusque rei pars»; «Cotonea obrui terra in ollis *fundo* effracto» (PLIN. *Hist. Nat.* 15, 17, 18 (60)).

14) **decía a cada sorbo**: *sorbillans eadem Capra proferebat*. *Sorbillare* invenitur apud TER. *Adelph.* 4, 2. Locutio *a cada sorbo* respondet: «dum sorberet, sorbens, sorbillans», nam participium actionem simul factam, aut parva interjecta mora, significat (cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.* § 286). A Latinitate alienum videtur *in singulos haustus*. Repetitio vero quae voci *cada* inest, pronomine *eadem* quodam modo suppleri posse videtur: «Capra *eadem*, sorbillans, proferebat».

15) **cierto**: *sane*; «Sit *sane* tanta, quantam tu illam esse vis, sed vide...» (CIC. *de orat.* 1, 55, 235).

16) **digan lo que dijeren**: *alii aliter senserint*. «Aliter aut geminatur aut jungitur vocabulis ejusdem thematis ut *alii aliter...*» FORCELLINI, *s. v. aliter*. «*Senserint*, de hoc subjunctivo potentiali cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.* 255, c; hoc subj. perfectum P. Llobera minus recte interpretasse videtur ut *futurum perf.* (cfr. *Grammatica class. Lat.* § 311, NB.). Vel ad verbum reddere potes: «Quicquid alii dicunt».

17) **vicio**: *vitium*; «Universim dicitur de quavis depravatione animi, ut de loquacitate senum, de culpa in disputando» (FORCELLINI, *s. v.*).

18) **sacando**: *exserere*; «Adversus Gallum linguam etiam ab irrisu exserentem, producunt» (LIV. 7, 10, 5).

19) **bigotes**: *barba labri superioris*; ita scriptores qui puriorem amant Latinitatem, cfr. GEORGES *s. v. Schnurrbart*; tamen et vocem Graecam *mystax ácis* recte adhiberi posse arbitramur, ut in libello cui index *Nova et Vetera* nos libere fecimus (cfr. p. 5, n. 6).

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Commercium epistulare

Andreas Avenarius colendissimo P. Joseph Mir, C. M. F., S. D.

Misi ad te narratiunculam, quam, cum legeris vel in corbem chartarum comburendarum projice, vel typographis tuis permitte exscribendam in PALAESTRA adolescentibus, ut spero, non ingrati. Heri accepi fasciculum secundum LATINITATIS, quam salva PALAESTRA prodire gaudeo. Etiam amicitiam inter utrosque commentarios factam vehementer probo. Nam de hac lego in proximo fasciculo PALAESTRAE. Diligenter quod *ellogium* explosisti, places. Inter scriptores LATINITATIS, quidam vereor ne sint nimium angusti in delectu vocabulorum; nos, ut nosti, in campum delati sumus liberioris aquae sequimurque regulas a te ipso conscriptas, nitentes semper ut color noster quam maxime transeat in vividum Ciceronum colorem. Si rursus dicerem hic PALAESTRAM menstruam, non bimestrem, esse debere, statim responderes: Heus tu, si omnes qui operam conferre suam expectantur tam segniter tamque parce conferrent, quo pacto audes crassiorem jubere PALAESTRAM? Sic satius est nihil jubere, sed aliunde facere impetum...

Cura tuam valetudinem. Nonas Majas a. 1953. Ex S. Augustini.

Epistolia soluta

STI. AUGUSTINI *A. Aven.* — De illo —quod notas in adhibenda Latinitate— discrimine inter scriptores, denuo mente agendum ac vel disserendum erit; ex ea tamen sententiarum varietate maximum profluet emolumentum, nam neque illi nimis erunt in puro, vetere, circumlocutionibus abundanti sermone rigidi, neque nos in barbaram prolabemur Latinitatem. —De illo comparando epistularum fasciculo tecum cogita; selectiores et quae magis ad rem nostram spectent, erunt segregandae.

GONZÁLEZ CATÁN *Lucas.* — Tandem, quod in Virginem Mariam miseris carmen edere possumus. —Ob tuam erga nos benevolentiam maximas rependimus gratias

FLAVIOBRIGAE *Zac. Rem.* — Grata et jucunda tua; ea enim studium produnt tuum in litteras Latinas. —De normis tamen ac legibus, quae linguam Hispanicam attingunt, disserere, nostrum non esse plane non ignoras; de quibus tamen non nihil disputare fas esto. —De novo dictionario Hispanico-Latino cogitasti

optime; rei tamen manus admovere arduum est.

GERUNDAE *Nog.* — Vox *Queralt* a radice Celtica *keros, kero* — *petra* — (cfr. A. GRIERA, *Gramática del català antic*, p 25) procedit, cui adjectivum *altus* copulatum est, (quasi *petra* (quae est) *alta*).

America —ut probe P. OLEZA (*Gramat. Lat.* 1011, d) ex ipsa vocis etymologia evincit—, producta acuenda ac pronuntianda esset; oritur enim vox ab Americo Vesputio, et rursus *Americus* ab *Amalarico* Germanico nomine, cujus altera compositi pars *-ric-*, in Gotica lingua, in Celtica, cet., oblonga est. Sed ut saepe fit, progrediente tempore, voces varie acuuntur, ipsique viri docti quasi haesitare videntur inter populi et eruditorum usum. Nos, si more nostro, latine *América* acuamus, peccare non videbimur. —Ipsam tamen Romanam Pontificem —cum divum Antonium Mariam Claret inter caelites cooptavit— *Americam* pronuntiasse mihi visus sum audivisse.

Bibliographia

I. E. ARCINIEGAS. — *Las Ojas de Horacio*, traducción en rima castellana, V vol. Publicaciones del «Instituto Caro y Cuervo». Bogotá, 1950

Quam maximae «Instituto Caro y Cuervo», grates habendae quod nobis dedit V volumen editionum in quo Horatium ab eximio poeta Columbiano I. E. Arciniegas non ignobili Gallorum, Anglorum, Italarum, Lusitanorum vatum interprete, nunc Hispanice redditum inducit.

Opus centum octodecim carminum Horatiana complectitur, quibus conexum Carmen Saeculare atque fragmentum Epistulae ad Pisones.

Dnus Arciniegas consulto decedens e trita via et ratione classica, vel ut verius dicam pseudoclassica interpretandi, quae salebrosam lectionem Venusini reddebat, Horatium ita hodiernum in hodierno sermone — quod nobis in studio erat — accommodavit ut carmina Horatiana quasi recentes versus sique plane vernaculi legi possint.

Hoc ergo meritum Dni. Arciniegas; sin minus, haec nova interpretatio omni momento careret nihilque amplius quam aliud tentamen esset atque exercitatio pervetuste et archaice interpretandi.

Huc adde quod versus lyrici — sua indole subjectivi — ut vividius permulceant animos atque permoveant, ad recentioremodum et genus dicendi sunt convertendi. Quod est magister Arciniegas sine dubio assecutus. Iis enim praecipue scripsit versiones quibus nullum aliud est auxilium et adjumentum Horatium cognoscendi.

Paecipuus operis tenor est concentus et optimi sensus aesthetici Versus alacres numerosi, non inviti fluunt ut vix huiusmodi facilitatis improbus nimisque labor videatur; mirum in modum etiam jugem et humanam indolem idcir-

co semper novam legentibus Venusini exprimit atque revelat. Nam, cum audieris in numeris tam hodiernis vetera gaudia et maerores, facetias et lepores antiquos post duo fere millia annorum adeo revirescentes ut a poeta aetatis nostrae concipi videantur, agnosces quantum exegerit Horatius monumentum quod tempus — edax rerum — evertere minime potuit, quantumque sit talis interpretis ingenium. Interpretationes ergo maxime dignae quae omnibus commendentur.

M. MOLINA C. M. F.

FRANCIS VIAN — *La guerre des Géants*. Paris. Klincksieck. 1952.

Historico decet, propriam mentem propriumque cultum superanti, ut evenerunt, facta omnia fideli ac simplici calamo narrare. Quod tamen aliquando minime inter antiquos viguit, cum historici priscae vel finem tum moralem cum litterarum sibi in scriptis proponerent vel rumores vulgi colligerent tantum et ornarent. Quae narrationes plura celant vera neque historiae studiosis inutilia.

Qui ergo operam dant — arduo sane labore — ut veritas, sive scriptis sive artis operibus contenta, plene erumpat, meritum non parvum sibi acquirunt. Hac de causa clarum dominum Vian et de litteris Graecis et de historia bene meritum putamus, qui «Gigantomachiam» satis abunde ac perspicue ipsarum fontium usu atque novissimorum quoque commentariorum, bonoque animo nec parvo ingenio conatus est enodare.

Tum ipsa rei indoles cum temporis adjuncta operi fines imponunt.

Clarus etenim vir probe distinguens ac dividens gigantes a titanibus et Typhaeo, de mythica, ut ipse dicit, tantum agit «gigantomachia», de origine scilicet gigantum pugnae a primis temporibus et classicis ad aetatem usque quae hellenistica nuncupatur.

Sensu objectivo et critico, in duas dividit partes opus, quibus prologus praecedit; conclusio, bibliographia, indiculus textuum et monumentorum et rerum index generalis consequuntur.

In prima parte distincte ac minutim opera artis quae supersunt sive sculpta sive fictilia examini subjiciuntur. In secunda vero fontes litterariae examinantur, novissimae interpretationes gigantomachiae crisi subduntur et respectus exponitur religiosus.

Plura adhuc sub iudice manent. Quidquid de quibusdam sententiis posteris sentiant, opus tamen oblivio nunquam delebit.

CH. AIMOND. — *Rome et son Empire*, Paris, J. de Gigord éditeur. 1950.

Ipsae auctor tribus tantum verbis titulum libri satis nobis illustrat: *Histoire. Institutions. Civilisation*. Haec omnia certe alumni reperient librum «*Rome et son Empire*» volutantes.

Est etenim liber, de quo iudicium prodimus, summa populi Romani factorum, brevissimis paginis confecta, perfecta tamen. Prae oculis habens cl. auctor quae et praehistoria et archaeologia nobis offerunt novissima facili simplici que narratione, ut, libris decet ad erudiendos pueros editis, historiam lectoribus offert populi Romani, humanam simul ac iudicio ponderatam: praeterea de institutionibus et cultu agit Romanorum. Figuris nonnullis et chartis, liber illustratur quibus lectio facili ac delectabilius evadat; narrationes quoque selectae frequentes inseruntur. Accedit in fine libri synopsis brevissima factorum praecipuorum, appendix de usitatibus mensuris apud Romanos eorumque institutionibus, indiculus denique verborum atque excerptorum et picturarum index.

Propter claritatem et humanum christianumque sensum optimum hunc librum pueris ducimus historiae Romanae compendium.

LOUIS CREUS VIDAL. — *Le problème de l'évidence de la religion*. 1951.

Rem non minimi momenti hic liber pertractat. Omnia si rite perpendimus, plures essent necessariae paginae. Duobus tantum capitibus, simplici narratione, maxima tamen perspicuitate rem auctor absolvit. Delectationem ex libro percipies.

LOUIS CREUS VIDAL. — *Interrogantes sobre el continuo y el infinito matemático*. Barcelona, Ediciones Ariel. 1951.

Opus non parvum hoc volumine aggredditur auctor bono quidem animo, modeste tamen, cum tantum intendat quasdam suscitare quaestiones inter philosophiam perennem et hodiernas tractationes physicas; quae quidem ponderato iudicio, et exponuntur et enodantur subtiliter.

La Seda en la Liturgia. Barcelona 1952.

Plura occasione XXXV Congressus Eucharistici Internationalis proximo superioris anno Barcinone habiti, vel facta vel incepta sunt opera. Inter «expositiones» peregrinae omnes illam «*La Seda en la Liturgia*» in qua multiplices vestes sericae liturgicae custodiebantur, admirari potuerunt, cujus summa et specimen curioso lectori hoc volumine offertur.

F. M. ALBA, C. M. F.

BRUNO GENTILI. — *Metrica Greca Arcaica*. Casa Editrice G. D'Anna, Messina-Firenze, 1950.

Liber artis metricae, qui offerat interpretationem fragmentorum lyricorum Graecorum, respondet certe desiderio multorum cultorum Graecarum litterarum, ex ipsius opinione scriptoris huius operis. Etique satis desiderio faciendo totum opus destinatur, quod quidem fructus est jugis studii in critica textuali.

Ab scriptore haec breviter perstringuntur sectiones: *Studia metrica*, pp. 11-29; *Metrica et musica*, pp. 30-39; Lo-

gaoedi Westphal et Logaoedi traditionis, pp. 40-50; Dimetrum, pp. 51-68; Jonicum a majore in poë i Graeca, pp. 69-85; Metra Sapphus, Alcei, Anacreontis, pp. 89-187. Sequitur accuratus Index analyticus, pp. 183-197.

Atque cl. scriptor alterum nobis, quod exspectamus, volumen promittit, quod erit de aliis rebus metricis: de Corinna, de carminibus popularibus et de Lyricis choricis. Maxime opus hoc commendamus cultoribus linguae Graecae.

VOX. — *Diccionario general ilustrado de la Lengua Española*. Segunda edición. Editorial Spes, Barcelona 1953

Iterum prelo editum est hoc scitum omnibusque numeris absolutum Dictionarium linguae Hispanicae, quod procul dubio hujus linguae cum discipulis tum magistris magno erit in pretio, ab hisque toto pectore plaudetur.

Praefationis scriptor est vir perpoltus litteris, Raimundus M. Pidal, qui belle atque erudite disserit de «Dictionario quod est in votis». Operis vero recognitionem totam complevit cl. Professor S. Gil y Gaya, a quo perfacili omnino calamo de «Notis Dictionarii VOX» in fronte operis disputatur.

Praecipuae certe notae altera in hac editione: amplitudo et copia qua neologismo colliguntur; coaptatio multarum vocum Americanarum; frequens synonymiae usus, adeo commodus in conscriptionibus faciendis; progressus in studio non nullarum etymologiarum; accuratio denique multarum rerum definitionum.

Ceterum opus est volumen 1815 pag., 17 x 25 cm. Pulcre editum papyro ad hoc elaborato. Toto quidem plausu digna est Domus Editrix Spes, quae ita semper enixa est in Litteris Humanioribus pervulgandis, perpoltendis, perficiendis.

REINO HAKAMIES. — *Étude sur l'origine et l'évolution du diminutif Latin et sa survie dans les langues romanes*. Helsinki, 1951.

De una agitur ex tot lucubrationibus in monographiae modum redactis, quae adeo suffragantur in dies enucleandis

notionibus adhuc in scientia philologica acquisitis De origine, de evolutione deminutivorum Latinorum, deque eorum in linguis Romanicis «superviventia» disserit cl. scriptor.

Opus dispescitur totum in sex brevissima capita. I, Introductio: in qua disputatur de suffixis deminutivis indoeuropaeis et de limitatione deminutivorum Latinorum. II, Usus deminutivorum in substantivis, adjectivis, adverbis. III, Consuetudo non nullorum temporis classici scriptorum in adhibendis deminutivis. IV, Usus deminutivorum in infima Latinitate. V, «Superviventia» deminutivorum in linguis Romanicis. VI, Conclusio, bibliographia, index. Tota libri doctrina in 147 paginis facile evolvitur. Opus in commodum erit, quod nobis est iudicii, lectoribus «PALAESTRAE LATINAE».

KLIMKE-COLOMER. — *Historia de la Filosofía*. Segunda edición. Editorial Labor, S. A. Barcelona, 1953.

Lectoribus nostris hoc novum volumen, idque magni momenti, Historiae Philosophiae notum volumus, quod quidem summo erit pretio alumnis hujus disciplinae apud nostrates Liber omnibus proderit Philosophiae cultoribus, ut opus consultationis, ex magna notionum copia atque accuratissima et frequenti bibliographia, ibi in compilationem redacta a cl. scriptoribus.

At vero liber magis proprius erit ut textus initiationis in Historia Philosophiae discipulis in Universitatibus Hispanicis et Hispanicis-americanis. In quo invenient explicationem perspicuam, amplam unaque concisam, ut fieri potest, in his rebus cogitationis humanae. Opus est elaboratum multorum certe annorum spatio in studio et magisterio adhibitorum.

Constat volumen ex 878 paginis textus atque fere 100 indicum: est vere ad nostros dies in melius adductum. Conspectus typographicus libri vere nitidus, ut fructus artis technicae Domus Editricis «Labor». Ex toto corde gratulamur Professoribus Facultatis Philosophicae, in Collegio Maximo S. Francisci Borgiae, Barcinone, qui vero fraterno studio hanc translationem et ampliationem paraverunt. I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Palaestra Exercitatoria

RESPICE STELLAM

*«Ne avertas oculos a fulgore hujus
Sideris, si non vis obrui procellis»;
(S. Bernard.)*

Vita ne maestis minitetur umbris,
solis occasu, revidentur astra,
clara quae reddunt tenebrosa noctis
luce carentis.

Turbo si, magno crepitans furore,
te per adversas jaculatur undas,
Pacis in caelo renitebit alto
Lucida Stella.

Noctis immanes peragrantur umbrae;
nauta, dum saeva trepidat procella,
percitus frangit tumidas carina
aequoris undas;

his in aerumnis agitur Euro,
nititur vero precibus benignae
Matris; idcirco nitido refulgent
sidera caelo.

Virginem Sanctam precibus rogantes,
quos sopor noctis peracerbus urget,
luce gaudebunt animis serena
omne per aevum.

Supplici, Mater, tenebris operto
Lumen Aeternum generosa donas;
gratiam cunctis renitere, quaeso,
Virgo Maria.

Teque, Cor Matris, venerentur omnes,
insimul cantus resonent per orbem!;
quas Tibi fundant homines, libenter
accipe laudes.

Virgo caelesti memoranda cantu,
cor levans aegri miserique damnis,
caelitus mentes, generosa Mater,
protege nostras.

SEVERINUS ALONSO, C. M. F.
(E 1.º Philosophiae anno)

Sancti Dom. Calceatensis, Idibus Majis.

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.